



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

31. S. Sylvester Papa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

718 XXXI. Decembr. S. Sylvesti Papæ.

est cœlum Regina , dulcis Virgo Maria. In difficultatibus ad Eam recurramus ! Audiet vota ! Approbat desideria ! *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

*Instructio meritoria.*

Quia Maria sic ordinavit, & sua gaudia mundo manifestavit, in venerationem *septem gaudiorum*, quibus in terra fuit perfusa ; item & illorum septem, quibus jam gloria laetatur in cœlis, totidem *Pater & Ave* cum *septemplici Magnificat* oremus. Recedant tristia, ubi recoluntur Mariæ gaudia! Ad hæc ridet cœlum, terra laetatur, *Angeli congaudent, dæmones contremiscunt.* Idiotæ,

Dies ultima Anni sacra S. Sylvestro Papæ, & Thavmaturgo Clementissimo.

*EXHORTATIUNCULA I.*

Fili ! quod Paulus , quod & sibi in lectulo mortis dixit S. Sylvester , nimirum : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* An idem & nobis hâc ultimâ anni die repetere licet ? Licet , si vita non reclamat. Quæ enim consolatio nostra, si nos damnnet propria conscientia ? Huic dum anno sequenti invigilabimus scilicet, recordemur, nos laboraturos Deo : & jam labor non erit gravis. Ubi enim amor est magnus, ibi omnis labor est modicus. Possimus laborem alleviare , fugere omnem non possumus.

*Instructio meritoria.*

Reformemus jam corpus humilitatis nostræ, &

& ad magna opera pro Deo, & bona conscientia fortiter in dies instantis anni statuenda præparemus. Sed ab humilitate principium. In sacro tribunali, quod vel hodie ex singulari devotione frequentandum, nos accusemus de omni abusu temporis nobilissimi: de abusu talentorum, aliorumque tum naturæ, tum gratiæ donorum, & in satisfactionem omnes psalmos pœnitentiales recitemus. Hi quid pro tantis negligentiis?

II.

Transiit denuò de vita nostra annus: sed cui? & quomodo? Ah! si vel hâc horâ seriò deperdita deploraremus tempora, quæ nobis ad pœnitendum, & Deum possidendum concessa sunt! At quî vivemus imposterum? Sanctius, & ferventius vivendō priora redimamus tempora! Fiat! Nam S. Paulus rogat: *Videite itaq; fratres! quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus.* ad Ephesios 5.

*Instructio meritoria.*

Coram Crucifixo, vel sanctissimo Venerabili deprecemur prostrato corpore transacta malè tempora, & denique subjungamus Lyanias ad omnes Sanctos, quos hoc anno nostrâ offendimus sotordiâ. Humilis confessio est novarum gratiarum impetratio.

III.

*Quid omisit honorum Deus, quæ nobis hoc potuit præstare anno, & non præstít?*  
Nos

720 XXXI Decembris. S. Sylvestri Papæ.

Nos verò quid non omisimus? Quanta in Dei servitio negleximus? Abyssus abyssum invocat, si serio perpendamus. Verum, o chare fili! confidamus! animos reassumamus! Dedit Deus nova tempora! Hæc Deo, & saluti duntaxat impendamus. Sit tota imposterum diei cura, pati mala, & agere bona. An non recordamur, quid nobis Petrus Chrysologus: *Dedimus corpori annum, demus anime dies. Vivamus parulum Deo, qui toti viximus saculo!*

*Instructio meritoria.*

Certum nobis conscribamus ordinem vitæ futuris annis continuandum. Ad benedicendum exhibeat Venerabili Patri spirituali. Pre-  
tium providæ adeò industriæ pandet experien-  
tia. Cæterū ut diem quondam ultimum feli-  
citer, suavitèque claudere mereamur, ex reflexo  
gratitudinis affectu (quantum commode fieri  
potest) tria cum suis Mysteriis SS. Rosaria SSS.  
Trinitati offeramus, & annum cum Te Deum  
finiamus pro tessera revolentes verba MagniIn-  
diarum Apostoli: *Non quiescendi hic locus est,  
sed eundi. Viatores nos voluit Deus, qui ater-  
nitati per momenta propinquamus.* Par in hoc  
omnium, qui nati sunt, conditio; illa dispar:  
quod ad infelicem isti, beatam alii properent  
regionem. Sic anno noviter instanti curramus,  
ut comprehendamus, & jubilantes dicamus:

*In omnibus glorificetur Deus, & in Deo  
Magnus Pater Benedictus.*

ADAUC-

